



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

Qvo potissimu[m] tempore canes admitti oporteat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

opera nullus prorsus sit vsus accipitrum? Quare secundum accipitres hos etiam diligenti curæ habuisse vt videar, de canibus nunc dicam, initium faciens à generatione ac eorum censura.

Quo potissimum tempore canes admitti oporteat.

MENSE Ianuario ac Februario canes summa diligentia pariq. studio pasci, necesse est, atque omni labore solui, vt eas denique libido coeundi incessat, cum optimis quibusque canibus, vt ita genus per bonos vsque conseruetur. Eum autem, qui admittitur, trimum esse oportet, nec minorem. femella vero sit bima, nec iunior. Post autem, quam amore fuerit percita, & requisierit maritum, contineto eam dies plus minus decem, deinde aliquando admittito, & semen statim continebit. Cæterum interea dum coeunt, facito canem cum mare in cellulam aliquo concludas, nec prorsus cõmittas, vt quisquã coeuntes intueatur. namque si tum videantur, canes venationi inutiles parient. atque hoc venatores longa experiētia edocti, memoriæ prodidere. Post coitum vero, canis grauida in venationem ne producat, ne aut

cupiditate cursus nimia catulos corrúpat; aut si abortum faciat, ipsamet pereat. scias autem bimestre tempus gestare vterum, & quot mares habeat, totidē diebus tempus constitutum superare. marem vero foueri molli alimento & abundantanti vsque ad tricesimum diem, necessitas est. Post deinde cum res postulet, in venatum educi potest.

De censura ac canum cognitione.

SI cupias comparare canes bonos ac generosos, ita de illis experimētum facito. ex fœno rotundum fac circulum, latitudine rotæ currus, siste catulos in medium circulum, seorsim vero matrem contine. Fœnum dein circumcirca succendito, & quum videris ardere iam fœnum, vinculis canem exime; ac experiere eam metu omniposito per ignem irrumperere: quippe quod arcto adeo amoris vinculo suis catulis sit deuincta. eligit vero naturali quodam desiderio ac iudicio & optimos quosq. ex incendio educit. eos autem qui relictī sunt ab ea, si vel venum dare, vel alicui gratificari volueris, alteri cani suppones, quæ suos nihilominus catulos habeat, vt ipsa alat. sed enim hoc modo eos illi subijcies. emungito